

Ad min. Nemo dat quod non habet; *e.* socii quotcumque sint, quantumcumque constanter eodem modo agant, quocumque animo seipsum obligandi, nequeunt efficere ut ille agendi modus sit obligatorius.

Coroll. 1^m Si cujus societatis gubernatio fuerit omnino democratica, potestas legislativa penes subditos residet, sed legitime in comitiis congregatos, eorumque sic congregatorum consensus requiritur ut valeat consuetudo eorumdem dispersorum.

Coroll. 2^m Ergo si qua consuetudo ipsi legislatoris auctoritati detrimentum vel periculum natura sua afferret, ea nunquam fieri posset legitima, nam consensum nullum auctoritatis habet quae contra eam est; imo etiamsi legislator conscius non reclamet ideo solum, ut propter malam inferiorum dispositionem majora mala vitet, illud silentium non potest pro conniventia haberi, quum sit invitum; neque poterit post aliquantum tempus praescriptio existimari, quum contraria sit voluntas legislatoris non interpretabilis.

Propositio 44.

Ut consuetudo vim legis acquirat, debet ipsa esse honesta et utilis, frequentari a plerisque sociis communiter et publice, cum intentione manifesta se obligandi.

Stat. quaest. Praeter legislatoris consensum, obligationis fontem, aliae insuper conditiones necessariae requiruntur ut consuetudo fiat legi aequivalens: illae quas enumeratas explicare volumus.

Prob. 1^a pars (*honesta et utilis*). De honestate patet, nam contra legem naturalem nulla obligatio possibilis est.

2) Ad utilitatem et bonum societatis commune solum spectat tota legislatoris auctoritas; *e.* consuetudo quae contra hoc bonum esset, nequit ab eo approbata censi.

Prob. 2^a pars (*frequentari communiter et publice*). 1) Communis modus agendi sociorum ostendit hujus consuetudinis necessitatem vel saltem utilitatem ad bonum commune; *a.* haec utilitas requiritur, et practice aliter ostendi non potest; *e.*

2) Publicus modus agendi omnium aequivalet promulgationi publicae consuetudinis; *a.* haec promulgatio requiritur, et practice aliter fieri nequit ubi de consuetudine agitur; *e.*

Prob. 3^a pars (*cum intentione se obligandi*). Consuetudo vim legis obligantis obtinet per legislatoris consensum; *a.* legislator ei consentiens, suam facit intentionem plerorumque sic agentium; *e.* nisi haec intentio, quatenus in plerisque manifestatur, contineat obligationem inducendam, neque legislatoris approbatio talem obligationem continebit.

Coroll. 1^m Ergo conditio *aliquanti temporis* non interrupti per quod vigerit factum consuetudinis, ut obtineat jus obligandi, necessario requiritur quoties *per praescriptionem* accedit consensus legislatoris, conditionatus enim

est ille consensus; — sed minus ea conditio requiritur ubi consensus accedit *per approbationem vel per conniventiam*.

Coroll. 2^m Ergo conditio *bonae fidei* qua plerique agant aestimantes sincere se ob peculiarem circumstantias non teneri ad aliter agendum, requirenda est, eo saltem tempore quo tandem praescribat, nam approbare quod mala fide fieret legislator nec potest nec vult, quia talis approbatio viam ad omnia mala aperiret.

Propositio 45.

Consuetudo quae vim legis obtinuerit, legem humanam quamcumque oppositam ejusdem ordinis abrogat.

Prob. Consuetudo vim legis acquirit via approbationis, aut conniventiae, aut praescriptionis; *a.* triplici hac via lex opposita humana abrogatur; *e.*

Ad min. 1 et 2 part. (approbatione vel conniventia). Consensus personalis a legislatore datus evidenter sufficit ad tollendam obligationem oppositam.

Ad min. 3 part. (praescriptione). Voluntas generalis conditionata idem prorsus efficit, ubi conditio impleta est, ac voluntas absoluta particularis de eodem objecto; *a.* praescriptionis via in eo consistit quod consensus juridicus obtineatur quia conditiones praescriptae implentur; *e.* nova voluntate legislatoris tollitur obligatio praecedente ejusdem voluntate imposita.

Coroll. 1^m Ergo etiamsi lex praecedens expresse, sed universaliter, omnem consuetudinem oppositam excludat, v. e. dicens: «*non obstante quamcumque consuetudine,*» tamen contraria superveniens consuetudo si praescripserit more consuetudinum ordinario, vere eam legem abrogat, quia eadem valent rationes. Sola utilitas istarum exclusivarum formularum est, ut praecipiant majorem curam ad praecavendas ingruentes novas consuetudines antequam praescripserint.

Coroll. 2^m Ergo sensus istius axiomatis: «*consuetudo legem non vincit,*» verus duplex est: 1) consuetudo particularis non impedit quominus lex universalis obliget in aliis partibus ubi haec consuetudo non viget; — 2) consuetudo quaevis potest lege postea superveniente tolli (cfr. infra).

Coroll. 3^m Ergo etiamsi initio mala fide contra legem inducta fuerit consuetudo, fieri tamen potest ut postea ob mutatas circumstantias, vel ob nimiam difficultatem eam late jam propogatam tollendi, haec consuetudo fiat vere utilis, servetur jam bona fide, et vera praescriptione contra legem priorem valeat.

Coroll. 4^m Ergo fieri etiam potest ut rationabilis consuetudo legi quoad poenam deroget, relicta culpa, vel ut relicta poena deroget quoad culpam.

Coroll. 5^m Ergo *consuetudo optima legum interpretis*; i. e. consuetudo legitima interpretationem legis praebet, sive *doctrinalem*: ostendens quo sensu legislator voluerit suam legem intelligi, et a subditis ab initio fuerit intellecta; sive *authenticam*: usu ipso tribuens legi sensum, qui etsi non initio fuerit in mente legislatoris, jam tamen verus nunc et juris sit.

Propositio 46.

Consuetudo toti alicui societati communis abrogatur superveniente lege universali contraria: at non item consuetudo particularis, nisi legislator speciatim et expresse pro ea parte urgeat.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quomodo consuetudo suam vim juridicam amittere possit. Potest autem a) sicut omnis alia lex, per oppositam consuetudinem quae vim legis acquirat; b) per mutatas circumstantias ita ut ejus objectum desinat esse honestum, vel ratio propter quam inducta est cesset.

2) De his prioribus duobus modis nulla est difficultas; sed paulo amplior quaeritur explicatio, quomodo per legem oppositam novam tollatur consuetudo, quomodo aliquando non tollatur sed quasi clypeus libertatis contra legislatoris vocem opponatur.

3) Ex praecedentibus jam patet quaecumque consuetudinem posse solius legislatoris contraria voluntate prorsus everti; nam si legislator potest per posteriorem legem revocare priorem per expressam voluntatem a se factam, a fortiori poterit per expressam posteriorem revocare priorem tacitam vel interpretativam. Sed quaerimus quomodo haec posterior exprimi debeat.

Prob. 1^a pars (*consuetudo communis*). Lex posterior universalis revocat legem priorem universalem contrariam, etiamsi hujus mentionem non faciat; a. consuetudo universalis habet vim legis universalis; e.

Ad maj. Lex posterior essentialiter obligat, utpote lex, et essentialiter removet quaecumque obstacula quae a legislatoris voluntate pendent; a. prior lex opposita obligabat per voluntatem legislatoris quae nunc revocatur; e.

Prob. 2^a pars (*non consuetudo particularis*). Legem universalem ferens legislator, jure merito censetur ignorare tum consuetudines particulares, tum rationes propter quas illae servantur; a. ita rationabiliter censetur illas non vellè revocare; e.

Prob. 3^a pars (*nisi expresse urgeat*). Unica ratio cur vigeat consuetudo, etiam particularis, est consensus saltem interpretativus legislatoris; a. ubi legislator certior factus existentis consuetudinis, et rationum ejus, nihilominus expresse urget legem suam universalem contrariam etiam speciatim in ea parte, cessat unica causa illa; e.

QUAESTIO 2.

De norma subjectiva, seu conscientia.

Propositio 47.

Cum conscientia dubia nunquam licet operari.

Notiones. 1) *Conscientia*: non *psychologica*, de qua alibi, i. e. facultas qua intellectus facta animae interna dum existunt cognoscit; — sed *moralis*,

i. e. actus quo intellectus principia generalia moralia actionibus singularibus applicat, qui proinde proxima norma moralitatis actionum est.

2) Conscientia moralis igitur, est iudicium rationis dictans aliquem actum hic et nunc concrete esse ponendum vel omittendum vel liberum. — Ejus *objectum materiale* est actio quaelibet humana ipsius subjecti judicantis, non sumpta praecise et in specie, sed concrete et in individuo, secundum complexum omnium suarum notarum. — Ejus *objectum formale* est hujus actionis bonitas vel malitia.

3) Hujus actus origo est implicitum (aliquando explicitum) ratiocinium, cujus major principium universale juris enuntiat, minor factum concretum praesens exponit, conclusio principium facto applicat.

4) Conscientia moralis actus est. Potest etiam in habitu considerari, scilicet prout est inclinatio hominis ad judicandam honestatem actuum suorum individuorum. — Hic habitus cum alio, qui synderesis dicitur, confundi non debet, qui est potentia seu facultas, pronitas ad prima principia moralia cognoscenda, «habitus innatus primorum principiorum moralium.»

5) Conscientia ratione objecti dividitur:

}	antecedens — — iudicium de actione futura: ponenda, omittenda, libera.
	consequens — de actione praeterita, jam posita.
	{ accusans — de actu malo, <i>remorsus</i> .
	{ excusans — de actu indifferente, libero, <i>pax animi</i> .
	{ approbans — de actu bono, debito, <i>testimonium bonae conscientiae</i> .

6) Conscientia ratione status mentis dividitur:

}	certa — — certitudine subjectiva, i. e. iudicium cum adhaesione, sine formidine oppositi.
	{ recta — cum objectiva veritate concors, ex motivo objectivo vero.
	{ erronea invincibiliter: cum objectiva falsitate, ex motivo apparente, quod actu nullam suspensionem oppositi relinquit.
}	incerta — sine subjectiva certitudine.
	{ erronea vincibiliter: iudicium objective falsum, ex motivo apparente, sed quod actu aliquam suspensionem oppositi relinquit.
	{ dubia — mens anceps, in neutram partem potius inclinans, propter motiva utrinque apparentia.

Stat. quaest. 1) Norma proxima moralitatis objectiva est lex, tum naturalis tum positiva. Sed haec hominem agentem dirigere vel obligare non potest nisi ipsi cognita sit, et applicanda manifestetur. Quae cognitio et manifestatio per conscientiam fit. Quaeritur ergo quando et quomodo conscientia vim habeat obligandi, impediendi, permittendi.

2) Per partes responsio his propositionibus danda est. — Spectatur conscientia antecedens, non conscientia consequens.

Prob. Qui non est certus id quod facere vult esse licitum, et tamen facit, libere et scienter se periculo exponit peccandi; a. hoc nunquam licet; e.

Ad min. Non licet exercere velle malum; a. hoc vult qui dicit: volo hunc actum, sive bonus sive malus sit; e.

Coroll. Ergo conscientia dubia deponi debet, veritatem inquirendo et certam faciendo conscientiam. Quod si fieri nequit, id quod tutius est fieri debet, i. e. id quod certo a formali legis violatione removet.

Propositio 48.

Contra conscientiam certam, sive rectam, sive invincibiliter erroneam, non licet operari.

Stat. quaest. De conscientia dubia, quocumque modo vel gradu sit ea dubia, dictum est; jam de conscientia certa quaeritur, quid et quomodo valeat.

Prob. 1^a pars (rectam). Qui contra conscientiam certam rectam ageret, vellet positive id quod sciret se velle non posse; ac proinde adhaereret objecto formaliter ut vetito; *e.*

Prob. 2^a pars (invincibiliter erroneam). 1^o Qui contra hanc conscientiam ageret, vellet id quod hic et nunc ut malum apprehendit; *a* talis voluntas est mala; *e.*

Prob. 2^o Si liceret contra talem conscientiam agere, sequerentur absurda: 1) lex non prout certo cognita est, sed prout ignota est obligaret, 2) et haec lex ignota obligaret dum nulla obligatio actu adest eam cognoscendi (nam supponitur error invincibilis, *e.* dubium vel impossibile vel saltem apparens ut imprudens); *e.*

Objic. 1^o Talis conscientia non est recta; *e.* non sequenda. — *R. d. ant.* non recta objective, *c*; subjective, *n.* (supponitur error invincibilis, i. e. iudicium sufficienter prudens subjective).

Objic. 2^o Sic fieri posset obligatio agendi contra legem; *a.* hoc repugnat; *e.* — *R. d. maj.* agendi materialiter contra legem, *c*; formaliter, *n*; — *c. d. min.* (aliis verbis: *d. maj.* agendi id quod est contra legem, *c*; id quod agnoscitur esse contra legem, *n.*).

Objic. 3^o Impossibile est ut Deus simul velit (per legem) et vetet (per conscientiam). — *R. d.* ut praecceptum et vetitum simul urgeat, *c*; ut ea disjunctim urgeat, *sd.* quoties agitur de legis naturalis principiis primis quae invincibiliter ignorari nequeunt, *c*; de aliis; *n.*

Propositio 49.

Nec contra conscientiam vincibiliter erroneam, nec juxta eam licet operari.

Prob. Conscientia vincibiliter erronea est iudicium practicum falsum, cum aliqua suspitione erroris; *a.* male agit qui contra vel qui juxta tale iudicium agit; *e.*

Ad min. 1 part. Qui contra agit, illud facit quod revera iudicat esse malum; *e.* vult malum.

Ad 2 part. Qui juxta agit, non vult sufficientem inquisitionem instituere

ut actionem suam normae obliganti conformet; *e.* vult scienter et libere se periculo peccandi exponere; *e.* vult malum.

Coroll. Ergo ante actum deponendus est talis error.

Propositio 50.

Quoties adest absoluta obligatio alicujus finis obtinendi, pars tutior sequenda est.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quomodo formanda sit conscientia, seu quomodo deponendum dubium practicum vel error vincibilis practicus, ut obtineatur conscientia certa, et quidem recta.

2) Saepe sufficit veritatem theoreticam diligentius inquirere, i. e. de moralitate actus in seipso considerati quoad objectum, finem, et media, abstrahendo ab applicatione concreta particulari spectata secundum omnes praesentes notas.

3) Sed saepe etiam fiet ut theoretice inspecta actionis moralitas dubia maneat, et appareat hinc adesse legem aliquam quae imperet vel vetet, illinc non applicandam esse eam legem sed manere libertatem; ac proinde nullum etiam iudicium practicum appareat certum.

4) Hoc secundo casu erit conscientia indirecte formanda, ratiocinio scilicet quo aliud principium generale huic dubio applicetur. Hoc ergo principium nunc quaeritur; et duplex affertur, in hac et sequente propositionibus.

Notiones. 1) *Absoluta obligatio finis* alicujus particularis obtinendi, seu effectum aliquem revera et valide producendi, existere potest: a) *ex justitia*, si jus alterius certum adest servandum, v. c. obligatur notarius validos contractus conficere, iudex aequam sententiam proferre, medicus veram sanitatem restaurare; — b) *ex caritate*, si amor proximo debitus exigit aliquod beneficium reapse ei tribui, v. c. obligatur pater educationem et bonos mores filiorum curare, sacerdos valida sacramenta ministrare.

2) *Tutum* in morali vocatur quod a peccandi periculo removet; *tutius* id quod magis quam oppositum removet. Tutius igitur minime idem est ac probabilius: hoc subjective, illud objective dicitur.

3) Dicimus ergo, in dicto casu non licere probabilem quamlibet sententiam theoreticam practice sequi, sed si ad theoreticam certitudinem perveniri non possit, eam esse sequendam practice quae magis removet periculum finis non obtinendi.

Prob. Obligatio absoluta finis obligat absolute ad media apta; *a.* hic media apta ea sola sunt quae sunt tutiora; *e.*

Ad min. Ex hypothesi media alia probabiliter quidem ad finem conducunt, sed proinde etiam probabiliter finem in periculum adducunt; *e.* non sunt media apta ad illum finem certo consequendum.

Propositio 51.

Quoties de solo licito vel illicito agitur, licet opinionem vere et solide probabilem sequi, relicta tutiore aequae probabili vel etiam probabiliori.

Notiones. 1) *De solo licito vel illicito*, i. e. si aliunde nullus finis particularis est absolute obligatorius, sed solum quaeritur de actionis in seipsa spectata honestate theoretica.

2) Dicimus ergo, in hoc casu si certitudo theoretica non possit obtineri sed probabiles opiniones pro utraque parte, licitum esse alterutram pro arbitrio practice sequi, etiamsi opposita tutior a peccato sit, vel probabilior appareat, dummodo vera probabilitas, eaque non tenuis qualiscumque sed notabilis et solida, stet pro parte sequenda.

Stat. quaest. 1) Hanc nostram sententiam ante Jansenianorum tempus nemo explicite defendebat, sed nemo impugnabat (scilicet quaestio non ponebatur), at practice tota antiquitas et sensus communis hominum sequebatur.

2) Veniunt *Janseniani*, *rigoristae*, dicentes non licere aliam nisi certam sententiam sequi libertati faventem contra legem; — contra eos alterum extremum amplexi *laxistae* dicunt licere sequi opinionem quaecumque probabilem, etsi tenuis et minima sit probabilitas.

3) Antiquam doctrinam exponunt ac tenent Jesuitae: *probabilismum* nostrum. — Sed multum et audacter Janseniani alii conclamant, eos cum laxistis confundentes. His etiam alii aliqui se adjungunt, docentes non nisi tutiorem sententiam licere sequi, unde et *tutoriistae* dicuntur.

4) Venit *S. Alphonsus*, qui initio docuit *probabiliorismum*, i. e. licitum esse opinionem libertati faventem contra legem sequi, dummodo haec probabilior, notabiliter probabilior, sit quam opposita. Mox tamen et diu docuit *aequiprobabilismum*, i. e. licitam esse opinionem, dummodo aequae, saltem aequae, probabilis sit ac opposita. Tandem ultimis operibus accessit ad *probabilismum* nostrum.

Prob. 1° Lex dubia non obligat; *a.* dubia est lex contra quam militat vera et solida probabilitas; *e.*

Prob. maj. Obligatio est moralis necessitas oriens ex cognita connexion alicujus actus cum finis ultimi consecutione; *a.* ubi lex est dubia, non cognoscitur illa connexio; *e.*

Ad min. Lex dubia est de qua prudenter dubitari potest an existat; *a.* talis est ea contra quam militat solida probabilitas; *e.*

Prob. 2° Qui sequitur in praxi opinionem quae intra limites rectae rationis et prudentiae sistit, prudenter ac proinde licite agit; *a.* qui sequitur in praxi opinionem vere probabilem, relicta etiam probabiliori et tutiore, opinionem sequitur quae intra limites rectae rationis et prudentiae sistit; *e.*

Ad min. Opinio probabilis et prudens (i. e. solide probabilis) non eliditur in conflictu opinionis etiam certo probabilioris (cfr. logic.).

Schol. 1^m Formare conscientiam practicam de honestate actionis via

indirecta (seu, ut dicitur, reflexa) non licet nisi impossibile sit eam formare via directa.

Schol. 2^m A conscientia speculative dubia ad conscientiam practice certam gradum facimus via indirecta, sequenti modo: «quod nulla certa lege vetitum est, licet; *a.* hoc... vere probabiliter nulla lege vetitum est; *e.* licet.» — Vel: «qui agit secundum veram prudentiam, honeste et licite agit; *a.* qui hanc solide probabilem opinionem sequitur, agit secundum veram prudentiam; *e.*» — Utriusque syllogismi et major et minor certae sunt; *e.*

Schol. 3^m Axiomata sequentia usui esse possunt ad formandam conscientiam indirecte:

1) *In dubio melior est conditio possidentis.*

2) *In dubio standum est pro eo pro quo stat praesumptio.*

3) *In dubio judicandum est ex communiter contingentibus.*

4) *In dubio factum non praesumitur sed probandum est*: si nempe de substantia facti quaeritur.

5) *In dubio standum est pro valore actus*; seu: *in dubio praesumitur factum quod de jure faciendum erat*: si nempe de substantia facti constat, sed de ejus circumstantia aliqua, formalitate, quaeritur.

6) *In dubio nemo malus praesumitur, nisi probetur.*

7) *In dubio favores sunt ampliandi et odia restringenda.*

Schol. 4^m Axioma: «*in dubiis libertas*» valet pro dubio speculativo non pro dubio practico.

Schol. 5^m Conscientiae perplexae, i. e. quae utrumque oppositum aestimat esse malum, unicum consilium est ut *eligat quod minus malum*, et non peccabit; imo si aequae mala appareant: *eligat quod vult*, nam utrumque licet, quum sit alterutrum inevitabile.

Objic. 1° Si quis sequitur opinionem minus probabilem, fieri potest ut contra legem agat. — *R. d.* sicut fieri potest in omni probabilitate, etiam maxima, *c*; secus, *n.* (cfr. logic.).

Objic. 2° Legibus Dei semper et ubique subjecti sumus; *a.* subjecti non possunt libertate sua uti, nisi certo constet hanc illis libertatem a domino concedi; *e.* — *R. d. maj.* legibus Dei, i. e. dominio Dei generatim, et obligationi tendendi ad finem ultimum, *c*; legibus specialibus Dei, etiam non sufficienter promulgatis, *n*; — *d. min.* constat autem quoties nulla particularis obligatio imponitur vel lex promulgatur, *c*; non constat nisi expressis verbis libertas proclametur, *n.*

Objic. 3° In conflictu jus superius manet, jus inferius suspenditur vel eliditur; *a.* 1) ubi probabilitas utrinque, ibi est conflictus jurium; 2) jus legis est jus legislatoris et Dei, superius; jus libertatis est jus subjecti hominis, inferius; *e.* — *R. c. maj.* — *n. min. et supp.* (libertas humana non est jus contra Deum! nec lex divina est jus certum contra libertatem, de quo quaeratur utrum superius an inferius; sed si existit est certe supra omne jus humanum, at quaeritur num existat).